

Matri generatio est Filii. Hæc Anselmus: de cuius sententia dum Matthæus Genealogiam Domini descripsit, eadem operâ Cōceptionem, & generationem B. Virginis docuit, per quam, & ex qua naturam ipse induitus humanam, eorundem proavorum sese nepotem præstiterit.

390 Sed cūm predictam Genealogiam per Matthæum ab Abrahamo usq; retexam, antiquorem esse perspicxit Lucas Evangelista, eam ut omnibus atavorum numeris absolveret, ad Adamum usq; primum humani generis Parentem, accurate reducendam studuit; nisi quod post Davidem legales aliquor parents attexuit, alioquin priores omnes naturales recessuerat. Igitur integræ Mariæ profapiam à primo repetemus Adamo, si utriusque Evangelistæ Genealogias inter se conferamus, atque collato studio plenum naturalium avorum, & atavorum Mariæ catalogum intruamus. Primus Matthæus progenitores Mariæ percensuit naturales, iuxta communem, ac veram tam antiquorum, quam recentiorum Interpretum, & Theologorum sententiam. Quotquot etiam Lucas à Davide ad Adamum commemoravit proavos, non minus naturales fuisse constat, quam quos Matthæus ab Abrahamo usque ad Christum descriperat. Argumentum est, quia sicut Matthæus progenitores Deiparæ retexens, alium ab alio fuisse genitum meditato dixit cap. 1. à v. 2. Abraham genuit Iacob, &c. eo consultò usus verbo, genuit, propriam, physicam, atque communem patris, matrisque generationem significante, ut naturalem Genealogiam sese describere ostenderet; quod antiquissimus Africanus ex vetusta heroicorum Ecclesiæ temporum traditione observavit in Epist. ad Aristidem, & post eum S. Augustinus lib. 2. de Confusu Evangelistarum c. 3. & alii. Eodem modo Lucas, ut eandem compleret Genealogiam, viginti Abrahami avos, à primo Adamo numeratos addidit; quorum genus eodem gignendi verbo à Moysè confinatus erat Genes. 5. à v. 3. Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, &c. & c. 11. à v. 10. Sem genuit Arphaxat, Arphaxat genuit Sale, &c. Retinendæ enim est tam in Mosaica Patriarcharum Historia, quam in Evangelica Matthæi Genealogia, verbi, gignendi, proprietas, quam nativam exprimit ex connubiali viri ac feminae congressu generationem filiorum, & conceptionem. Igitur, cum Adam, Abraham, David, & reliqui majores in Evangelica Genealogia partim à Luca, partim à Matthæo commemorati, aliis alium genuisse filium assertantur; consequens est, B. Virginem per propriam, ac naturalem generationem, & conceptionem ab ipsis fuisse progenitam, utpote Christi Matrem, cuius naturalis Genealogia texebatur.

391 Hanc eandem Deiparæ Genealogiam ex aliis comprobare possem divinis Scripturis, & fecissem quidem, si id agerem, ut multa hinc inde congerendo, volumen augerem. Fontes tamen indicasse sufficerit, ex quibus, utpote divinis, vel Evangelicis hauerint, vel nos eorum scripta possumus illustrare: Genesis capit. 5. & 11. nec non libri 1. Paralip. 1. c. 1. à v. 2. ad 4. & v. 24. & 34. item cap. 2. & 3. à v. 5. Adde publica Tabularia Genealogica, quæ postea ab Herode, Vulcano data, ut Regia deleretur Davidis successio, testantur Eusebius lib. 1. Historæ c. 7. & Am-

brosius lib. 3. in Lucam. Sed & pleraque alia erant Scripturæ loca, quibus Deipara Evangelicorum Progenitorum naturalis filia monstraretur, & quibus lectissima quæque sequentibus capitibus explicabo, quæ tamen ad ejus purissimam Conceptionem illustrandam aptiora censuerim. Qui plura velit, adeat Tertulliani librum de Carne Christi, Isidorum contra Judæos, & alios, quorum simile fuit argumentum.

392 Præter Evangelicos proavos, ju. at Deiparæ 1. proavias quoque Deiparæ cognosse, ut ex proavia. communi paterno, maternoque congressu, propriam fuisse, ac physicam generationem hanc, & conceptionem, undequaque confit. Prætero notissimas, quarum gesta divinis litteris consignata, nemo nesciat: Evam, Sarah, Rebeccam, Liam, Thamar, Rahabam, Rutham, Bethsabeam; cæterarum nominis colligo per libros Regum, & Paralipomena disperga.

Salomonis filius Roboam matrem habuisse fertur Naama Amonitem 3. Reg. 14. 21.

Abia Regis mater, Maacha dicitur Abesalom filia c. 15. 2. Item altera Maacha Mater Asa Regis ibidem, v. 13.

Josaphat mater, Azuba, filia Selahi 2. Paral. 20. 31.

Ocozia mater, Athalia, filia Ameri 4. Regum 8. 26.

Joasi mater, Sebia c. 12. 1.

Amasias mater, Joadana, c. 14. 2.

Ozias mater, Jecabilia, c. 15. 2.

Joathami mater, Jerusa, ibidem v. 33.

Ezechiae mater, Abia, c. 18. 2.

Manassis mater, Hephziba, c. 21. 1.

Amonis mater, Messalemetha. v. 19.

Joisæ mater, Idida, c. 22. 1.

Zekimai mater, Zebida, c. 13. 36.

Quem eundem esse Jechoniam ultimum Regem, probabilius existimamus, cum antiquioribus Patribus, & Doctoribus.

Joachini mater, Nohesta, 4. Reg. 24. 8.

393 Itaque non atavi soli, sed atavæ quoque Marianæ commemorantur nobilitissimæ; ut naturali illam paterna generatione, maternaque Conceptione procreatam fuisse, minime dubitemus. Quod italicarum nomina supprimit Familia non scriptura, consultò id facit, ut doceat, familiæ à feminis, sed à viris ducendæ. Finio Anselmi verbis ex libro de excellentiâ B. Virginis Marie c. 9. *Hec mox ubi in mundum per humanae generationis lineam venit, tanta omni boni virtute, & substantia perfectè resplenduit, ut eam ipsa Sapientia Dei vere dignam judicaret, per quam in nomine veniens, non modò reatum primorum hominum, sed & totius mundi peccata deleret.* Perspicue S. Doctor Mariam per humanae generationis lineam in mundum afferit venisse, quod hic agimus, nec sine immunitatis notatione illa: *Mox ubi venit, omnis boni virtute, & substantia perfectè splenduit.*

Omittit S. Damiani in Ser. 3. de Nativ. B. Virginis, & S. Bernardi in Ser. de S. Joseph, atque aliorum Patrum illustria testimonia, quibus Marianæ Genealogia nobilitatem amplificant; neque enim universam Dei Matris gloriam explicandam, sed singularem Conceptionis spartam adornandam suscepit. Sat igitur legitimè ex hac tenus dictis conficitur, Deiparam non Deam, non Angelum existere, non de Spiritu sancto, non osculo, non ex singulâ Rabbinica materia progenitam fuisse; sed humana utriusque parentis generatione, & conceptione propagatâ.

SECTIO

S E C T I O XI.

Purissimam Virginis Conceptionem ad Adamum, & Evam esse referendam.

Ad Luc. 3. v. 23. Qui fuit Heli, qui fuit Matthat, &c. Qui fuit Adam.

394 Q uoniam Hæretici aliqui suprà citati, exp̄sè negant B. Virginem, suam ab Adamo originem rep̄tere, libet expressius h̄c illorum errorem confutare, quād id in præcedenti capite præstiterim. Et quidem, quod ad divinam Scripturam attinet, non alio efficaciori testimonio catholicum dogma probaturum me arbitror, quām illud ipsum recolam, quod capite superiori produxi, atque Deiparam Virginem ex Evangelica Adam, Abrahami, Davidis, & reliquorum Patrum humana stirpe, per naturalem generationem, & conceptionem, propagatam fuisse docēam. Igitur S. Lucas Evangelista falsissimæ haeresi omnem profus adiutum præclusit, dum Christi, & confequerter Mariae Virginis Mariæ Genealogiam ad Adamum ulque reduxit. Quamvis enim posteriores aliquot avos, ab Heli usq; ad Nathan, legales numeret, cæterum superiores omnes, à Davide ad Adamum, naturales recentet. Si ergo horum Catalogo illos addas, quos Matthæus in sua Genealogia connumerat, perspicue colliges, Deiparam naturalem esse neptim eorum, quos Lucas majores Abrahamo constituit; nempe Thare, Nachor, Sarug. Nœ atque Adam, perinde atque Abrahami, Ifaaci, Jacobi, & cæterorum naturalis exitit filia, quos Matthæus commemorat; ut conferent utriusque Evangelistæ accurata studiaclarebit.

395 Post sacram Scripturam, secundum locum sibi vendicat gravissima Tridentinæ Synodi auctoritas sessione 5. in Decreto de Peccato Originali. Ubi decernit, Originalem culpam à primo parente Adamo in universam propagari posterorum sobolem, qui communis Patris, & Matri congressu fuerint procreati. Ex hoc verò generali censu unam statim eximit Deiparam, quam eo Decreto comprehendi, negat S. Synodus suæ fuisse intentionis. Certè, hanc declarationem minime adiecerit Concilium, nisi eadem Sanctissima Virgo ex eodem Adamo, cædem fuisse, quâ cæteri nepotes, communis Patris, & Matri congressione propagata; ob quam propagationem dubium esse poterat, an eo Decreto eadem Virgo Deipara cum cæteris Adamitis à Concilio fuisse involuta. Igitur hac sua exceptione Tridentini Patres aperte docuerunt, B. Virginem ejusdem fuisse naturalis originis, cujus cæteri Adami nepotes existant; ejusdem, inquam, naturalis originis, quod ad paternam, maternamque generationem, & conceptionem attinet, non verò quod ad originalē culpam spectat; hanc enim tantæ Matris iniussisse noluit Concilium.

396 Neque alia mens, aliisfè fuit veterum omnium Patrum utriusque Ecclesie Doctrina. S. Irenæus lib. 3. adversus Hæreses c. 32. postquam probavit B. Virginem veram esse Christi D. naturalem Matrem, rationem reddit c. 30. propter quam Lucas ejusdem Matris opprobrium auferat, ip'a Patri (Adam) pro' Matre satisfaciat. Quam scilicet Adams accusabat, & in quam rejiciebat peccatum

originalis vincula, quibus universa illigabatur posteritas, per Christum, & Mariam fuisse disoluta. Non aliter quod colligatum est solvere. S. Ireneus.

tur, nisi compagines alligationis reflectantur retrorsum, ut prima colligationis solvantur per se cundas, secundæ rursus liberarent primas. Et proper hoc Dominus dicebat, primos quidem novissimos futuros, & novissimos primos. Propheta etiam hoc ipsum significat, dicens: Pro patriis tuis nati sum tibi filii. Psal. 44. 17. Componit Irenæus Adamo & Eve inobedientibus Christum, & Mariam divino præcepto obsequientissimos: hos illorum nepotes disertè cum Davide pronunciat. Subdit S. Doctor quod ex re fuerit. Propter hoc Lucas initium generationis à Domino inchoans, in Adam retulit, significans, quoniam non illi hunc, sed hic illos in Evangelium vite regeneravit. Sic autem & Eve inobedientis nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae. Vides, ex sententia Irenæi Lucam explicantis, Christum, & Deiparam, Adami esse filios? Vides, ipsa Irenæi verba ad immunitatem Virginis spectare?

397 S. Ambrosius in Ps. 118. Ser. extenso, S. Ambrose dum seipsum exerranti conforti oculare, sic Pastorem cælestem implorat: Veni, & quare ovem tuam, non per servulos, non per mercenarios, sed per temetipsum. Suscipe me in carne, que in Adam lapsa est; suscipe me ex Maria. Mariam ex Adamo planè docet exortam. Addit item ex Eva in lib. de Institut. Virg. c. 5. Veni Eva sobria, esti in te aliquando in temperans, sed jam in prole jejuna, &c. Quid luculentius?

398 Suffragatur Augustinus Ser. 2. in Ps. 34. S. Augustinus ex Adam, mortua propter peccatum Adæ, Adam mortuus propter peccatum; & caro Domini ex Maria mortua est, propter delenda peccata. Hoc cilicio se induit Dominus. Cætera non ago; illud signo: Maria ex Adam: quo Augustinus scopum attigit. Rursus Ser. 55. de Diversis: Maria unde? ex Adam. Subscriptit luculentè sententia Andreas Patriarcha Jerosol. Andre. foly. in Serm. de salutat. Angelica: Gabriel Jerosol. Virgini acclamat, Ave: quo gaudium, quod a via perdiderat, filia Adam in se recuperaret. Eva illam, & Adami nuncupat neptim.

399 Eleganter Damascenus utrumque primum Parentem, hunc in modum sanctissimam Filiam affantes inducit in Orat. 2. de Virg. S. Damasi. Dormitione. Beata tu Filia, que violati mandati panas nobis sustulisti: Tu mortali corpore à nobis acceperis, immortalitatis indumentum nobis peperisti. Tu cum à lumbis nostris orum acceperis, beatitudinem nobis rependisti. Chrysippus Presbyter Jerosol. in Orat. de ejus laudibus cognitionem inter Evans, & Mariam statuit. Leo Sapiens Orat. in Annuntiationem, Leo Sapiens. B. Maria progenitricem Evans pronunciat. S. S. Damas. Damianus Ser. de Assumptio. Carnem Virginis ex Adamo assumptam, agnoscit. S. Anselmus in lib. de excellent. Virginis c. 3. Puellam de propagine Adam natam dicit.

400 Illustre illud S. Bernardi in Serm. 2. S. Bernardus super Missus est. Lætare Pater Adam, sed magis, tu ô Eva Mater, exulta; quia sicut omnium parentes, ita omnium fuisse peremptores: ambo, inquam, consolamini super filia, & tali filia. Proptere curre Eva ad Mariam, curre Mater ad Filia. Filia pro Mater respondeat; ip'a Matris opprobrium auferat, ip'a Patri (Adam) pro' Matre satisfaciat. Quam scilicet Adams accusabat, & in quam rejiciebat peccatum origi-

Lucas Deiparæ Genealogiam ad Adamum usque reduxit.

Probatur ex Tridentina synodo.

Probatur ex Patrio.

108 In Cap. XXIV. Ecclesiastici.

originale, cuius infamia, per Mariam Filiam, liberatam fuisse docet pius Abbas, uti alias enucleatiūs perpendemus.

401 Bernardo similis est Bernardinus Senensis, qui Tom. 1. Ser. 61. cum Christi, & Mariae nobilitatem ex utraque Genealogia Evangelica multis commendasset articulo 1. c. 1.

S. Bernardi. concludit: *Ut ex hoc manifeste clarescat, quod omnis nobilitas corporis, concessa humano generi in Adam, à Domino principaliter data est, ut descenderet per multas generationes, & per Virginem Marem terminaretur in Christum.* Similia habet c. 2. Cui confonat coeūs illi S. Vincentius Ferrarius in Ser. de Conceptio. V. Mariæ. Vide S. Brigitam lib. 5. Quæstionum, & in Ser. Angelico, Amadeum Monachum in nova Apocalypsi, Raptu 8. Athanasium in lib. de Incarnatione, & in Orat, in illud: *Omnia mibi tradita sunt.*

402 Hæc supervacanea aliqui fortasse videantur, in re maximè perspicua. Quid enim attinebat, meridianem solem tenui promovere lucernā voluisse? Video. Sed quando humana demum acies eouique cæcūtivit, ut Mariam neque foemina, neque foemina, & ac virili generatione conceptam, neque ex primis Parentibus Adamo & Eva communī congreſſione propagata, commentarii pergit, haud putabam, id olei, atque operæ deperditum, quo necessarium dogma, universi hujus Tractatus fundamentum extitum, tametii Catholicis compertum, firmissimis Conciliis, Patrumque testimonii fulcirem.

SECTO XII.

Beatum Mariam Virginem ex Abrahamo fuisse conceptam. Additum de Sara, Isaac, & Jacob nominib: & quid subinde pro Deipara immunitate.

Ad Genes. 17. 4. Dixit Dominus ad Abraham: Ego sum, & pæcum meum tecum, erisque pater multarum Gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham, &c.

403 Tertullianus in Libro de Carne Christi c. 22. summis illis Marianæ Genealogiæ statutis capitibus, Abrahamo, & Davide, universam eorum gloriam è spectasse, ut Mariam Dei Matrem progenarent, graviter scripsit. His originis fontibus generem manare, cùm gradatim ordo deducatur ad Christi Nativitatem, quid aliud quā caro ipsa Abraham, & David, per singulos traducem sū faciens, in Virginem usque describitur, inferens Christum? Sed de David infra dicendum; nunc de Abrahamo, quatenus ad Mariæ proneptis Conceptiōnem spectavit, paucis differendum.

404 Nobilissimum virum clarissima Filia Luc. 1. 55. Parentem generis agnoscit, Luke 1. 55. Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & Iēmini ejus in secula. Cecinerat Virgo præter alia divinæ gratiæ beneficia, propriam etiam præferventionem, eujus testem, præ cæteris Majoribus, unum compellat Patrem Abrahamum. Quem vel hoc nomine dictum ab Epiphanius, initio Panarii, honorum domesticorum Patrem, existimaverim: Domi enim Pater honorum fuit; ut potè primaria tantæ posteritatis auctor, Christi, & Mariæ proavus illustrissimus, sine quibus nullus humano generi homos. Sed & Syriaca Ecclesia, jam inde ab he-

rois exorientis Christianismi temporibus, illud Apostoli pro aris, & ambonibus cantare confuevit in Festis Deiparae: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Ad Heb. 2. 14. ex Maria scilicet Abrahami Hebr. 2.

405 Igitur, ut Abrahamum, Marianæ Concep̄tions eximium ante alios auctorem ostendam, illud in ejus historia obſervatione dignissimum expendo; quod ubi Dominus, præscripta Circumcisioñis lege, originalem culpam in Abraham, & ejus familiam prorsus abolendam edixit, statim illum Deiparae avum constituit, hoc est, ex Abram, aucto nomine, Abraham nuncupavit. *Dixitque ei Dominus: Ego sum, & pæcum meum tecum (circumcisioñis adversus peccatum originale) erique Pater multarum Gentium. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham;* quia patrem multarum Gentium constitui te. Genes. 17. v. 4. & 5. Magnum exitit Genes. 17. incrementum præavo, quod magnorum nepo-4. tum, Mariæ, & Iesu, progenitor configueretur, ac prædiceretur: magno igitur auctario illius nomen meritò cumulatur, qui Abram fuerat, jam inde post tantamannunciata pronemptim, Abrahamus nuncuparetur; & qui immunem Mariam esset procreatus, circumcisioñem contra originalem culpam percepisset.

406 Sed & in ipso nominis augmento ipsifim Mariam intextam licet animadvertere. Si enim Abrahami Etymologias evolvas, atque compositum Vocabulum disquisitiūs interpres; Abraham perinde est, atque Pater Excelſa, vel sublimis, aut eximia, five selecta, aut separata Matris magna. Formatur namque hoc nomen ab Hebraicis tribus vocibus, א ab id est, Pater; ר ram, id est, separata, selecta, eximia, sublimis; ex verbo ר rom, quod est aliquid ab aliis dirimere, fecertere, separare, atque selectum distinguere: vel א , ר , quod est magna, multa: denique tertio ab ה , ham id est, Mater, ut videre est Deutero. 22. 6. Elitis igitur, aut suppressis, per Euphoniam, vel Aphesis, ut in aliis nominibus frequenter sit, ex secunda, & tertia voce litteris illis א , ר , & ה ; extat nomen Abraham sanè propheticum, atque ab universa faeminarum turba singulari distinctio-ne separatum Magni Filii Magnam Matrem, atque ejusdem Abrahami felicissimi grandem Filiam significans.

407 Dicat aliquis, diversam Abrahami interpretationem recitatam fuisse a Moyse Genel. 17. 5. nempe Pater multarum Gentium. Respondeo primò; eti diversam, non tamen adverfam nostram esse expositionem. Licuit Philoni in libro de Abraham, Clementi lib. 5. Stroma. c. 2. & S. Hieronymo in e. 2. Epist. ad Galatas, Abraham interpretari, Patrem electæ vocis. Licuit Eusebio, & Bedæ in libris de Nominibus Hebraicis, idem nomen Abraham, vertere, Pater videntis populum, vel multitudinem. Licuit S. Ambrosio lib. 1. de Abraham c. 4. idem nomen reddere, Patrem electum, vel sublimem. Licuit vero; quia hujusmodi interpretationes, licet diversæ, Mo-façae tamen illi minime adversantur, cur igitur non liceat in ejusdem Abrahami gratiam, & Mariæ gloriam, prædicta nostra interpretatione? Respondeo secundò; hanc interpretationem varietatem, quæ in plerisque aliis facis nomi-

Pars II. ad V. 5.

109

nominibus frequens admodum occurrit, injuriam non esse Vulgatae Versioni; inò illustrationem ejus, ac promotionem, quæ magnum afferre illi soleat operæ pretium. Promovet, ac illustrat planè Mosaijam, & Vulgatam interpretationem interpretatio nostra. Propterè enim Abrahæ exitit Pater multarum Gentium, quia Pater exitit eximie, selectæ, sublimisque Deiparae Mariæ, Abramica filia, Dei Magne Matri, à qua totam in ipsius prævos refluxisse generis claritudinem docet Damascenus in Sermone de ejus Nativitate.

408 Illud præterea silentio minime involvendum; nempe neque de nihilo esse, quod cum tanta illi, ac tam excella promittitur nepotis, Abræ nomen in Abraham novâ crescit litteræ, tam incrementum hoc nominis, per unius additionem littera, n ha factum est, ut literatior inde atque sapientior ex Mariæ nepotis promissione redderetur. Videlicet divinæ est litteratura, cælestisq; sapientia, Mariam, Abrahæ filiam, ab universa Abrahæmidum, inò & Adamidum genere, singularis gratiæ distinctione, selectam revereri. Hanc porrò distinctionem, atque delectum ex adjunctis intelligere debemus: auctum enim erat de originalis peccati detergendi remedio, quo Abrahæ posteritas primaria illius culpæ fordibus esset eluenda: Hujusce ergo expurgandæ gentis dum Abrahamus prædiceretur Pater, unius seorsim, singularis, delectæ, atque à cæteris eximo privilegio separata nepotis delectus est avus, quæ ab originalibus fordibus imminis, ejusmodi nunquam egeret strigilibus.

409 Neque plebejæ cujuspiam litteræ autarium fuit, sed nobilissimæ, ex diviniori nomine Jēovah decerpit, quæ vitam significat, auctore S. Ambroſio in Psal. 118. Octonario 5. Ut tanta scilicet, littera n ha, tanquam locupletissimo pignore, certior fieret Abrahamus, promissam neptim vitalem extirpar, neque in communem cæterorum mortem concipiendam, sed in cælestem gratiæ vitam: unde unam & solam vitæ filiam, Mariam meritò compellat S. Dionysius Alexan. in Epist. contra Paulum Samosatenum. Perinde igitur fuit dixisse Dominus Abrahamo: *Pater meum tecum: appellaberis Abraham;* ac si diceret: Hoc te prius pacto initiatum consului, hoc originalis culpæ remedio; circumcisioñis, inquam, signo expiatum te volui, quo primi illius peccati fortes elueres; sic mihi Abrahamus evaferis, sic dignus cœferis, qui tuam illam Maximam Filiam, grandemque mæ proginas Matrem, singulari, eximia, atque à reliqua Adamigenarum plebe, longè femota generatione, selectaque conceptione propagandam.

410 Haud prætermissa in tam magnifica promissione, insignis Abrahæ conjux, Mariæ avia; quin meditata satis adjecta est Saræ mentio eodem cap. 17. 15. Genesis. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Idem prorsus elementum, n , ha , Saræ nomini inditum est, quod Abrahamo fuerat concessum; ut quam Deus, in generandæ Mariæ consortium, Abrahamo conjugem sociabat, eodem concipiendæ tantæ nepotis Hieroglyphico nobilissimam redderet. Inde quippe singulari, & domestica Dominae, quod Sarai significat, dominium, & imperium immensum exrevit; & quæ Mariæ proavia deligebatur, *Domina, Princeps, Re-*

S. Ambros.

gina dicta, quod Saræ, ejusce litteræ permutatione, præ se fert. Videlicet tantæ Filiae Conceptione, non rem solam domesticam, sed orbem sibi universum amplificandum, & summis provehendum honoribus, prædicitur. Certè Ambroſius, dum semel, atque iterum Mariam Saræ præfert, de Christi Incarnatione agens, illam hujus neptim aperte docet, haud sine illustri immunitatis ejus notatione; in Sermone extremo ad Psal. 118. *Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est. Suscipe, non ex Saræ, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo ab omni integra labo peccati.* Dum negat Ambroſius, velle fe à Christo ex Saræ suscipi, dum ex Maria optat, non negat hujus ex illa Conceptionem, sed dignitatem, & meritum neptis præfert. Hæc raptim de Saræ, Mariæ avia, Abrahæ conjugi. Vide quæ rursum addit Ambroſius lib. de institutione Virginis c. 5.

411 Paulus Episcopus Burgenſis in Addit. mons Mo- 2. ad cap. Genes. 22. Icabit celebrem Abraham, in quo Abraham diem Christi vidit, & gavisus est, Joan. 8. 16. appellat, ad tum fuisse Moriam, cum allusione ad Mariam Marie pre-Deiparam. Addo ego, utrumque nomen Mo- servationem riam, & Mariam, derivari ab Hebraico מִרְיָם , Mor, id est, Myrrha, cuius præservatricis aromatis illum montem feracem fuisse, Hebrei produnt; scilicet Mariæ præservatione gravidum, ut alias explicto. Itaque Abrahamus in eo monte, cum Christi die Mariæ quoque diem Conceptionis, & præservationis vidit, & gavisus est. Audi Angelum in Revelatione S. Brigitæ c. 8. Sermonis Angelici. S. Brigitæ.

Bene credibile fore digniscitur, etiam Abrahæ divinitus fuisse præostenſum, quod una filiarum sue stirpis Immaculata Virgo, Dei Filium parturiret. Creditur quoque Abraham de hac futura Filia magis, quam de Isaac Filio suo exultasse, atque majori charitate ipsam, quam Isaac filium suum dilexisse. Deinde ejusdem Dei Matris veluti hereditariam spem reliquise Abrahamus Isaac, hunc Jacobo, Jacobum Judæ, atque in hunc modum alios alii Patriarchis, cum addidisset Angelos, tandem concludit: *Unde verè probatur, Deum Matrem suam ita dilexisse; quod sicut ipse, antequam aliquid crearetur, ex ea maxime gratulatus est; ita etiam amicis suis, ex hoc quod ipsa nasceretur, magnam consolationem impendit, &c.* Hæc ex Brigitæ Revelatione.

412 Claudam, si S. Hieronymi eximiam sententiam, ex Commentario in cap. 10. Ecclesiastes, recitavero, qua non solum Abraham, sed Isaac etiam, & Jacob, Mariæ progenitores sanctissimos agnoscerit, atque a peccati servitute liberos, ut liberior ex ipsis sancta generaretur, & conciperetur Deipara. Christus Filius ingeniorum de Abraham, Isaac, & Jacob, Prophetarum quoque & Sanctorum stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id verè fuerum liberi: ex quibus natu est Virgo liberior S. Maria. Porro, quod Hieronymus Abrahamo Isaacum adjunxit, & Jacobum, Mariæ etiam proavos, jure fecit. Nam & hos quoque Mariam proneptim prænominis, at que alterum alteri ejus generationem, & conceptionem tradidisse, locupletissimos testes habemus, S. Dionysium Alexan. in Epist. contra Paul. Samosatenem, ubi benedictionem Isaac explicit ex versione LXX. Interpretum Genet. 27. 27. Genes. 27. Det 27.

S. Dionys. Alexan.

Maria vi-talis abra-ham filia, filia vita.

S. Epiph.

Alexan.

S. Hieron.

Maria ex sanctorum stirpe des- cendens fan-ditus fan-siis.